



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XIX. Beatam dicit Virginem Zorobabel; quia omnibus prodest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

mina, ipsi quoque catelli de micis tuis edunt. Hanc qui accipit micat, de catello migrat in leonem ignitum, ut docet *Chrysof. hom. 61. ad pop.* Hortatur *S. Gaudensius*. Contendite pulli generosi ad sacram offam, in qua est vita, & ex coelesti illo cibo mica non cadat. *Petrus Damiani*. Eva cibum nobis tradidit per quem nos æterni convivij fame multavit. Orat *Salathiel* scribam magnum: *Non derelinquas nos in manibus luporum malignorum*. Ita ipse exul pro populo tamen sollicitus. Sustulit Virgo lupos Ecclesiæ hæreticos.

19. Beatam dicit Virginem Zorobabel.

Quia omnibus prodest.

Zorobabel, idem est ac si dicas, Princeps cum Deo. Hic *3. Esdræ 4.* cum Babilonijs congressus sapientibus, dum fortissimam inter omnia veritatem afferuit victor evasit. Is captivitatem Israelis in patriam reduxit. *Aggei 1.* Is templum dirutum restauravit. Is *Zech. 4.* Signaculum Divini digiti meruit appellari, ejus symbolum, oleam ad candelabrum aureum septem lucernis instructum Deus ipse fixit. *Aggei 2.* Quod candelabrum dum vidit Zacharias & oleas circa illud duas quæsit ab Angelo. *Quid sunt due spicæ olivarum juxta duo rostra aurei candelabri.* At ille. *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori universe terre,* hoc est sacerdos *Josedech,* & Princeps *Zorobabel*. Oleum fuit, quia Israelem ut lucerna illustravit, quia extinctum illud regnum reaccendit. Matris Virginis oleum effusum nomen quia est misericors. Virgines quæ in lampadibus oleum habere noluerunt *Matth. 25.* exclusæ sunt à sponso. Quia ut ait *Chrysof.* in hunc locum. Virginitati carnis oleum misericordiæ neglexerunt adungere. Oleum ut docet *S. Bernard: 5. in Cant.* est cibus famelicis, lux in tenebris, medicina vulneratis. Hoc ipsum præstat Virgo, est enim Cibus. *Eccles. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me,* invitat, & à generationibus meis implemini. *Figurina.* Accedite ad me omnes cupidi mei, & facite ut fructibus meis impleamini. *De Virgine S. dixit Deus S. Cath. Senen.* Mater mea tanquam Esca dulcissima trahit ad se atque ad me animas. Quod veluti explicaret *Bernard. serm. de Visi.* Omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitrice se fecit, omnibus sinam suæ pietatis aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus læticiam, denique tota Trinitas gloriam. Est oleum lux in tenebris, quapropter illum locum: *Ego sevi ut orietur in celo lumen indeficiens,* illi applicuit. *Damiani serm. de Assumpt.*

de Assumpt. Sicut sol, addit, solus orbem illuminat, sic Virgo solidiori lumine Angelos & homines illustrat. Oleum medetur. *Bonav. Psalt. Min. quinqu. 2.* Virginem mundi Medicinam dixit. Habet medicinam pro superbis humilitatem, pro avari misericordiam, pro fluxis continentiam. *S. Ildefonso S. Virgo serm. de Nat. B. V. dicta est Magna misericordia, ut possimus orare per Virginem: Miserere mihi Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

20. Beatam Reliqui Progenitores Christi dicunt Virginem
Quia figuras & Prophetias illorum explevit.

Tertius inter filios Rubeni Primogeniti Israelis Ebron *1. Paral. 5.* & Ebron filius Aram dicunt Virginem Beatam. Num. 23. Baalam sic prophetare incipit eorum Balac. *De Aram adduxit me Balac.*

Tandem ad illud devenit Num. 4. *Videbo eum sed non modo, intuebor illam sed non propè.* Orietur stella ex Jacob & consurget Virga de Israel. Sub Roboam ob eius stultitiam penè finitum est regnum David *3. Reg. 12.* Per Filium Virginis reditum est æternum Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem David ejus, & regni eius non erit finis.* Quod nomine suo prædixisse Roboam videtur. Idem enim est, ac si dicas, dilatans populum. Abias similiter Pater Domini. Afa ex Matre impia Maacha filia vel nepte Absolonis oriundus, Rex pius & qui Matrem à sacerdotio idolorum amovit, nè esset Princeps in sacris Priapi. *Hebr. legit, nè esset Domina quia fecit idolum horrendum.* Quod explicat *2. Paralip. 15.* Sed & Maacham Matrem Afa Regis de Augusto deposuit imperio, eò quòd fecisset in luco simulacrum Priapi, qui colebatur ritibus obscœnissimis. Si quod idolum adversum fuit Virginitati hoc certè. Itaque Virginitatem honoravit Afa cujus nostra Virgo est Princeps. Ioram sustulit statuas Baal, & fuit is, in quo Deus justitiam suam, talionem reddendo manifestaret: hic enim sex fratres suos occidit, ut solus regeretur, filij etiam ejus omnes occisi sunt. Ad hunc Elias jam à raptu suo post annos novem literas dedit ex paradiso *2. Paral. 21.* quod legationem ad Matrem Virginem è paradiso institutam videtur significasse.

Ozias ab initio Deum secutus *2. Paralip. 26.* postea rerum successu inflante, *elevatum est cor ejus in interitum suum, ingressus è templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis, & leprâ percussus à Domino, & à sacerdotibus ejectus de templo.* Hic pœnam exhibet eorum qui altare thymiamatis, quod Virginem S. designabat linguis sacrilegis invadunt. Achaz cum in angustias fuisset reductus à Syris *Isai. 7.* neq; crederet promissis Dei, dixit Propheta. *Audite ergo domus David, non timetis*